

120.
ΑΥΤΡΩΣ ὠφελήσουσι

DISCURSUM ASTRONOMICUM
DE
CIRCULIS SPHÆRÆ
IN, GENERE, ET IN SPECIE
De,

CINGULO
MUNDI

Ex suffragio Ampl. Collegii Philof.
In Illuftri ad Auram Academia
SUB PRÆSIDIO

VIRI Max. REV. atq̄. CELEBERRIMI

Dn. M. LAURENTII
TAMMELINI

Math. Prof. Reg. & Ord.

PRO GRADU MAGISTERII

Disquisitioni publica, DEO volente, sistet

LAURENTIUS ODELIN

In Acroaterio Maximo d. 22, Decemb.
Anni c1616cxi, horis ante meridiem solitis.

Prelo subjecit AND: Bïdrctman/
Reg. Univ. Typog.

Autopsie des Morts

DISCURSUS METEOROLOGICUS

DE

CIRCULIS SPHERA

IN GENERE ET IN SPECIE

DE

CINGULI

MUNDI

Ex Iussu Amp. Collegii Phil.

In Illustri ad Aulam Academiæ

SUB PRÆSIDIO

VIRO MAX. REN. ac CEBERRIMO

Do. M. LAURENTI

TAMMELINI

Mag. Prof. Reg. & Ord.

PRO GRADU MAGISTERII

Disquisitioni publicæ, Deo volente, habet

LAURENTIUS ODELLI

In Auditorio Maximo d. 22. Decem.

Anno d. 1702, hinc sine intermissione

.....

Prelo subjecto And. Sigismundi

R. G. Univ. Typog.

עָרַב יְחִוּה אֱלֹהֵי הַיְשָׁעַנִּי בַחֲסֶדְהָ :

Pfal. 109. v. 26.

Sectio Prior Generalis



V. I. An in sphaera naturali dentur circuli, quos representat sphaera artificialis? Hoc omnes licet, etiam plebem sibi compertum habere

probe sciamus, eamque opinionem, si quis obtrudere gestiatur, πύξ καὶ λάξ, quod ajunt, oppugnatum ire: cum tamen omnis omnium hominum oratio & ratiocinatio circa hos duos polos, *Esse & non esse*, versetur & volvatur; non incommode, viam ac methodum simplicem communemque sectaturi, hanc de *Esse seu Existentia Rei* praeliminarem moveri quaestionem duximus. ut bene Poeta :

Α

Εβ

*Est & non monosyllaba nota frequentant,
His deventis nihil est hominum quod sermo
voluet :*

*Omnia in his & ab his sunt omnia ; sive
negocii,*

Sive oci quicquam est, seu turbæ, sive quietis.

Notamus igitur Sphæram natura-
lem ex circulis, artificialem constru-
entibus, non componi aut integrari, quum
fieri non possit, ut corpus ex non cor-
pore integretur. Sed quia intellectus
noster, sive sui defectu, sive *Φυσικῆ
ἀσυνέπειας*, a confusa illa abhorrens, di-
stinctam semper exosculetur cognitio-
nem; excogitarunt, exigente necessi-
tate, *Φαινόμενων* cœlestium speculatores
circulos, quibus motus & situs solis,
præcipui temporum moderatoris, Pla-
netarum atque Stellarum describeretur
& determinaretur, ut per hos exactis-
sima, qua fieri potuit, temporum exi-
steret ratio.

*Qu. II. Suntne igitur entia rationis?
Sunt entia rationis non ratiocinantis, ut*
10.

loquuntur Metaphysici; quippe quæ mera rationis figmenta & ludibria, e classe entium merito sunt exterminanda, quæque nullam nisi per ἀγωγήν disquisitioni viam pandunt. Sed *rationis ratiocinate*, quæ suum in rerum natura fundamentum agnoscunt, & cum eximia sua utilitas satis superque illa commendet, tum nobilitate subiecti, tum certitudine demonstrandi, dignissimam & nobilissimam disputandi materiam subministrant. Quare Ptolemæus, ad initium *Almagesti veteris* seu μεγάλης συντάξεως, Astronomiæ principem inter reliquas scientias locum vindicat, ceterasque conjecturas potius appellandas cenlet, propter multitudinem & discrepantiam opinionum.

Qu. III. Quinam & quot circuli pertinent ad exactam cognitionem Sphærae? Sunt illi pro vario siderum motu situque varii, pauciores tamen, ad vitandam confusionem, in globo factitio ponuntur, qui propter notabiliorem & in sensus me-

lius incurrentem varietatem, vel necessariam cognitionem dicuntur *Primarii*: qui vero minorum, nec adeo facile cuius obviarum varietatum signa existunt, cognitu etiam paulo difficiliore, propter variam Sphæræ artificialis positionem, & *συνκρούσις* ergo, ut dictum est, evitandæ, globo non inscribuntur, & vocantur *secundarii*. *Primarii* numerantur decem, dispescendi & hi in *maiores*, globum in duo segmenta æqualia dividentes, & cum eo centrum habentes commune: & *minores*, qui spheram in portiones inæquales secant, centrum habentes ab ea divertum. Dicuntur alias *maximi* & *non maximi*. Sunt autem prioris generis lex: *Æquinoctialis*, *Zodiacus*, *Colurus æquinoctiorum*, *colurus Solstitionum*, *Meridianus* atque *Horizon*, posterioris 4, nimirum: *Tropicus ☉*, *Tropicus ☿*, *circulus Arcticus* & *Antarcticus*. Respectu etiam spheræ artificialis alii circuli dicuntur *interni*, *mobiles*, & *immutabiles*: ut *Æquator* & *Ecliptica*; alii *immutabiles* & *immutabiles*: ut, *duo Coluri* & *circuli*

culi polares; alii etiam externi, immobili-
les, & mutabiles: ut, Horizon & Meri-
dianus. Respectu vero sphaerae natura-
 lis nulli circuli sunt externi, sed omnes
 in sphaera naturali, excepto Zodiaco
 in terrestri, imaginando concipiuntur,
 ut horum beneficio apparentiae caelestes
 melius percipi explicarique, (quemad-
 modum paucis modo subinnuimus) fa-
 cilis possint. Confectarium igitur est,
 ut omnes hi recensiti circuli, praeter Zo-
 diacum, in globo terrestri artificiali lo-
 cum habeant, & in ejus naturali, pariter
 ac in naturali caelesti, concipiantur, sese
 mutuo respicientes, quamvis per spa-
 tia inaequalia. Si enim majoris sphaerae
 ambitus minorem includat, & utrisque
 per partes proportionales inscribantur
 circuli paralleli, paralleli sphaerae exte-
 rioris necessario longius inter se dista-
 bunt, quam interioris. Cujus quidem
 problematis usus in Zonis designandis
 maxime dignoscitur,

Qu. IV. Quos circulos vocas secundari-
os? sunt illi I. verticales, & coincidunt
 cum

cum meridianis: horum usus est in dimetiendis siderum aliorumque cæli punctorum, per quæ a vertice seu Zenith ad varia puncta Horizontis duci intelliguntur, elevationibus supra, & depressionibus infra Horizontem, unde vocantur etiam circuli altitudinum & depressionum. *Tanta enim, dicit canon Astronomicus, est altitudo aut depressio sideris supra vel infra Horizontem, quantum est arcus circuli verticalis inter ipsum sidus & Horizontem interceptus.* Arabibus dicuntur Azimuthales. Affigitur a. Quadrans verticalis, horum circulorum vicem sustinens, Zenith Meridiani ænei, ut omnibus punctis Horizontis applicari possit. II. *Circum-verticales*, Arab. Almuncantarath, sunt Horizontis paralleli; & ab eo usque ad Zenith & Nadir, hoc est, tam in hemisphærio inferiori, quam superiori, æqualiter distant. Hisce determinantur sidera, quæ sunt ejusdem altitudinis. III. *Circuli Declinationum*, per polos & singula æquatoris puncta transeuntes, di-

distantiam ab æquatore versus alterum polum designant. Hinc duplex habetur distantia; Borealis & Australis.

III. *Circuli Latitudinum*, inter hos & Declinationum solum hæc est differentia; quod sicut Declin: ab Æquatore; ita Latitud: circuli ab Ecliptica initiū sumunt. Latitudo itaque est vel australis vel septentrionalis. V. *Circuli positionum*,

sic dicti, quia cum per sidus vel punctum aliquod in sphaera cœlesti transeant ad polos & singula æquatoris puncta, si a Zenith loci terræ ducatur per illud sidus aut punctum verticalis, cognoscitur in qua mundi plaga sidus positum sit.

VI. *Circuli domorum cœlestium*, qui communes etiam cum Meridiano & Horizonte sectiones habent, utuntur a. iis Astrologi pro divisione Zodiaci in XII. domos cœlestes, & sunt omnes circuli positionum.

Quæ V. Pertinentne præterea circuli alii quot ad exactam cognitionem sphaera? Omnino faciunt ad eam etiam circuli clim-

ma-

matum. Æquatori Paralleli, ad incrementa Dierum longissimorum horæ semissis, pro ratione distantiae locorum ab æquatore & polis, constituti, & propter confusionem vel discrepantiam opinionum in globo non habentur. Antiqui enim, existimantes loca vicina Æquatori ob nimium calorem, & proxima polo ob intensum frigus incolarum esse vacua septem solum τῆς οἰκισμένης climata constituerunt: I. scil. Διὰ Μερόης, insulam & urbem fluvii Nili. II. Διὰ Συήνης, urbem Ægypti. III. Διὰ Ἀλεξανδρείας, urbem Ægypti maritimam. IV. Διὰ Ρόδων, insulam maris mediterranei. V. Διὰ Ρώμης aut Ἑλλησπόντου. VI. Διὰ Βοροσθήνης, fluvium insignem Sarmatiæ Europææ. VII. Διὰ Ριφαίων, montes Sarmatiæ. *Ultra autem, dicit Joh: de sacro Bosco c. 3 de Iphæra, hujus septimi climatis terminum, licet plures sint insule, & hominum habitationes, quidquid tamen sit, quoniam parva est habitationis, sub climate non computatur. Sed hoc quantum veritati ipsique naturæ repugnet, nemo non videt*

videt, ut hoc in loco, Auctor alias celeberrimus, a commentatore suo, oprimi commatis Mathematico, Christopho Clavio; Bamb. merito vapulet, rectissime observante: non necessarium esse ad constitutionem climatum, omnes terræ partes habitabiles esse, sed sufficere, ut certa quædam teneatur ratio incrementorum dierum in variis elevationibus poli. His septem climatibus Prolomæus postmodum addidit VIII. per Witebergam, & IX. per Rostochium. Ab altera parte Æquatoris nulla climata numerabant antiqui, nulla quippe illis erat istorum locorum notitia, sed plerisque persuasio, omnia illa loca Oceano esse resecta: cum vero hujus assertionis fides apud sequioris ævi Astronomos redderetur suspecta, ab altera quoque parte Æquatoris climata constituiebant, quibus nomina non a locis insignibus, siquidem ignota, sed ipsorum septentrionalium climatum imposuerunt, præponendo tantum præpos: *ἀρκτική*; ut, clima *ἀρκτική δια Μεγόνης* &c. quasi dicas,

clima oppositum climati per Meröen. *Vid. War. l. II. c. 25. propos. XIV.* Inceperunt a veteres I. clima in gr. 12. & min. 45. ab æquatore, qui numerus etiam est istius loci diei longissimi quantitas, & terminarunt VII. seu ultimum in gr. 50. & min. 30. Sed recentiores initio facto ab ipso æquatore progrediuntur usque ad 66. gr. & 31. min: climata XXIV. numerando. In reliquis enim locis dies longissimus non horæ minutis, aut integris horis augetur, cum sol toto tere semestri eorum hemisphærium perlustret. Paralleli climatum tres dant clima unum, scil: Primus, Medius, & ultimus; ubi unius climatis finis est alterius initium. Hinc colligitur, quod, cum climata pro æquali diei longissimi incremento sumantur, & dierum longissimorum incrementa ex æquali locorum distantia non habeantur, clima Æquatori Vicinius sit latissimum, & quo magis ab eo recedant, hoc angustiora reddantur. E. gr. Wexionia sita est in medio fere climatis undecimi, &

Aboa

Aboa in medio prope Decimi quarti,
 quæ tria climata $4\frac{1}{2}$ gr. præter & pro-
 pter comprehendunt, quantū spatium vi,
 antiquis *Διά Ρ'ώμης*, solum complectitur.
 Præter hos climatum circulos, sunt etiam
Diurni, quos sol motu diurno conficit,
 qui tamen, si vera fatebimur, exacti cir-
 culi non sunt. cum sol ad idem punctum
 non redeat, sed potius lineæ spirales.
 Duo etiam *circuli, excursuum* dicti, constitu-
 untur, Eclipticæ ab utraque parte pa-
 ralleli, ab excursionibus Planetarum ex-
 tra Eclipticam nomen sortiti. habeba-
 tur excursus ille quondam 8 tantum, vel
 etiam pauciorum, nunc vero 10 gradu-
 um, imo 15, siquidem ꝑ e. g. deprehen-
 sus sit ad 10 gr. & ultra non numquam
 excurrere. Denique *circuli Horarii* oc-
 currunt, Horizonti paralleli, ad horas
 definiendas inventi, ob quarum in æqua-
 litatem & ipsi circuli sunt in æquales.
 Hi omnes jam recensiti circuli tertia-
 rii, ad errorum Labyrinthos fugiendos,
 globo non inscribuntur.

Qu. VI. Nunc quidem percepimus, plurimos circulos secundarios globo non inscribi, sed cum plures adhuc globo terrestri, præter X primarios, quos inscriptos esse superius declaravimus, oculis obversentur, eorum igitur circularum nomina breviter exponere lubet? Inscribuntur præterea sphaeræ terrestri artificiali

1. *Primus Meridianus*, per polos Æquatoris & certa loca terræ transiens, a quo longitudo loci supputatur.
2. *Meridiani secundi*, per 10. quemlibet grad. æquatoris transeuntes.
3. *Octodecim æquatori paralleli*, itidem per 10 quemlibet grad. versus polos descripti.
4. *Circuli Rhomborum seu Nautici*, per plagas Pyxidum nauticarum varias transeuntes, qui tamen omnes, exceptis duobus per plagas cardinales ductis, sunt lineæ spirales. Et hos omnes, sive primarios, sive secundarios, majores aut minores circulos dividunt Mathematici in 360 gradus, quemlibet gradum in 60 minuta prima, quodlibet primum in 60 secunda, & sic deinceps, quousque liberit

erit, raro tamen ultra quinta Astronomi progrediuntur.


Qu. VII. Quam vero ob causam dividunt Mathematici quemvis circulum in tot gradus & minuta? Causarum, quæ tradi possunt, omnium præcipua hæc est: Quia numerus 360. in plurimas partes aliquotas dividitur, neque etiam ullus sexagenario minor læpius tam apte dividi potest, ut semper portiones remaneant integræ. Deinde, quia circulus, eadem crurium circini extensione, naturali quodammodo sectione, secatur in sex partes æquales, ita ut semidiameter sit latus Hexagoni æquilateri in eo descripti, ex prop: 15. Euc. l. 4. diviserunt Astronomi Zodiacum in 6. partes æquales, singulæ singula signa physica, vel duo communia complectentes, atque cuiuslibet signo physico 60, vel communi 30 assignarunt gradus (nomen forte sortitos a diurna solis per singulos progressionem) jam si multiplicentur 60 per 6, vel

vel 30 per 12 numerus graduum circuli
 quæsitus habebitur. Tertio, placuit A-
 stronomis, quodlibet signum commu-
 ne in 30 gradus partiri, quoniam ab
 una conjunctione Lunæ cum Sole ad
 alteram dies ferme intercedunt 30: vel
 quia Sol tot fere dies in singulis com-
 moratur signis, merito tantum spatium
 uni tribuatur gradui, quantum lampas
 mundi fulgentissima motu diurno pro-
 prio abfolvit. Neque illa omnino con-
 temnenda est ratio, quam afferunt
 nonnulli, agentes circulum ideo in tot
 partes esse divisum, quia numerus
 Senarius inter omnes numeros perfe-
 ctos, qui partibus aliquotis constant,
 est primus, habetque affinitatem quan-
 dam cum sexagenario, decies quippe
 ab illo mensuratur, & hic rursus cum
 tricenario & sexagenario, cum eundem
 sexies metiatur. Sed de his hætenus,
 nunc restat, ut de Æquatore seu cingu-
 lo mundi, paucis quoque agamus.

Sectio Posterior Specialis

De

Æquatore seu Cingulo Mundi.


 U. I. Quid est Cingulum Mundi? Equator seu Cingulum Mundi est Sphære naturalis circulus imaginarius maximus, mobilis & invariabilis, cujus poli iidem sunt, ac poli mundi, & ab iis secundum quālibet sui partem æqualiter distans, atque per centrum universi transiens, totam Sphæram in duo æqualia segmenta, nempe in hemisphærium septentrionale & australe, dividit. Cingulum vocatur, quia sicut corpora nostra baltheis & fasciis præcingimus; sic & hic circulus mediam Sphæram ambit. Sunt a. præterea plura hujus circuli synonyma; appellatur enim a Græcis ἰσημερινός, ab ἴσος l. ἴσος æqualis & ἡμέρα dies, quasi dicas æquidialis, quam etiam appellationem Romanis, notante Festo, familiarem fuisse, & utrumque æquinoctium æquidiale seu æquidium dixisse deprehendimus. A Ptolomæo linea, circulus seu orbis æ-
 qua

quationis Diei; Ab Alphragano circulus æquinoctii, non raro quoque ab Astronomis Maximus Parallelorum nominatur: & apud Lucan: 9 Pharsal. circulus alti solstitii:

Deprensus est hunc esse locum, quo circulus alti

Solstitii medium signorum percutit orbem.

Phryges denique æquinoctio verno nomen Hilaria imposuisse, auctor est Macrobius lib: 1 sat. Celebrabatur lætitiæ exordium ad iix Kal. Aprilis, quem diem Hilaria appellant. quo primum tempore sol diem longiorem nocte protendit. Id enim tempus æquinoctii, quod nos vernum a viro appellamus, Omnia renovari, pullulare, virescere & hilarescere facit. Nautis dicitur hic circulus linea de linie, καὶ ἐξοχὴν, & transire Æquatorem, per phrasin de linie passerem efferunt.

*Qu. II. Cur sole in Æquatore existente ubi-
bivis terrarum æquinoctium fiat? Quoniam
uterque circulus, Æquator & Horizon puta,
est maximus, dividet alter alterum bifariam
per propof: II. lib. I.*

lib. I. Theodos : itaque in quocunque Sphæræ positu, ubi hi duo circuli se mutuo secant, dimidia peripheria supra & altera infra Horizontem constituetur. Hinc efficitur, ut æquinoctium in universa terra bis anno, sole scilicet primùm gr. γ vel α ingresso, tam in sphæra obliqua. quam recta contingat, imo in parallela quoque, si propositio *negative* sit accipienda, ut dicatur, diem non esse inæqualem nocti.

Qu. III. Fecimus jam mentionem posituum Sphæræ, quot ergo illi? Sunt tres: Rectus, utrisq; polis Horizonti perpendiculariter incumbentibus; vel quando Horizon secat Æquatorem ad angulos rectos. Obliquus quando alteruter polorum elevatur supra Horizontem, ac alter deprimitur infra Horizontem, vel cum Æquator & Horizon mutuo secantur ad angulos obliquos. Parallelus, polis perpendiculariter altero in Zenith, & altero in Nadir constitutis, & Æquatore ipsi Horizonti parallelo.

Q: IV. Occurrit ne circa æquinoctia præcipuum aliquod observatum? Cum de æquinoctiis sermo sit, etiam hoc, tamquam singulare quid, notamus; quod omnes Chronologi mundi terminum a quo ad alterutrum æquinoctiorum semper referant. præter unum Gerh. Mercat: Ægyptiorum & Astrologorum quorundam veterum sequacem; ideoque a celeb. Spanhemio Chronol: Sacra c. 1. notatum. Sed Ægyptiis erat respectus singularis, ad ortum nempe *Sothios* seu *canicula*, sideris illis & sacerdotibus sacri; exundans quoque hac anni tempestate Nilus, ac terras fecundans mundi eodem tempore conditi opinionem invexit. Ab utro vero æquinoctio mundus cœperit, non exigua inter Chronologos lis est. Illis, qui ad vernalis mundi principium referunt, ut veteres plerique, Pontificii, inter quos præcipuus est ingeniosissimus ille Clavius, & recentiores plurimi, hæ potissimum favent rationes. I. ex Gen: 1. V. II. תרשא הארץ *Germinet terra herbam* Ec: 2. Ipsius Dei præceptum
Exod.

Exod: 12. 2. 3. In hemisphærio boreali ab æquinoctio verno ad autumnale dies noctibus longiores sunt, gratior aura, solum virescens frugiferumque, animantium ad generandum proclivitas.

4. Neque etiam parum roboris huic sententiæ acciit omnium Mathematicorum consensus annum, quod notissimum est, ab æquinoctio verno auspicantium. 5. Existimatur Adamus circa eam anni partem esse conditus, quo Servator noster incarnatus, passus, ac tandem a mortuis suscitatus est. Hisce 6. acciit Maro lib. 2. Georg. a. vers. 336. ad 343.

Non alios prima crescentis origine mundi Esc.

Alterius sententiæ tenaces urgent sequentia: (α) Morem Judæorum veterum, etiam hodiernorum, annum ac Tekuphas suas, lectionem quoque in Synagogis mense Tisri, quæ vox Chaldæis initium significat, orientium. (β) Ægyptiorum, Asiaticorum complurium, & Orientalium denique omnium, communem, teste ipso

ipſo Hieronymo , conſenſum & uſum.
 (2) Terram ſæcundam frugibus omnis
 generis. Cum uero utraqve ſententia
 nullis apodicticis fulciatur argumentis,
 nec etiam illa haberi poſſunt, haud
 magnopere intereſt, cui nos opinioni
 addamus calculum. Si tamen fatendum
 fuerit, veſtigia priorum, incunabula
 mundi ad æquinoctium uernum ſtatu-
 entium, lubentius premimus, Spanhe-
 mio quamvis & Wendelino inuitis. Cum
 enim hemiſphærium boreale pars ſtatu-
 atur dextra, ueroſimile eſt magnum il-
 lum mundi oculum potiffimam pri-
 mum perluftraſſe partem. Imo colo-
 phonium addit ipſa Divina conſtitutio,
 cujus hic citra controverſiam ſcopus
 erat, ut Hebræi, miſſo errore Ægyp-
 tiorum, annum a uerno tempore, quo
 mundus fuerat conditus, & quo ei pla-
 cuit eos a tam dura ſervitute liberare,
 ruruſum inchoarent.

*Qu. V. Quo anni tempore & die ſol at-
 tingit circulum æquinoctialem? Quoniam*
 tem-

tempus ad *διάστημα καὶ κίνησιν* corporum
 cœlestium mensuretur, Gen: i. v. 14. ea-
 que *Ἀπὸ τῆς διανοίας ἀρρωστίας* maximam
 partem obscura; nemini peregrinum
 occurrat, omnium omnis ævi Astrono-
 morum ingeniosissimorum ingenia in
 vero tempore, quo maximus mode-
 rator temporum sol attingat illum
 circulum illudque punctum cœleste,
 quod tempori, ut superius evictum fuit,
 initium dedit, & a quo omnis fere
 ratio temporis dependet, investigando
 mire defudasse: nec non cognitione e-
 jus exulante, tot in sacris & civilibus
 errores atque diffidia, vix adhuc sopita,
 viguisset. Quare cum æquinoctialis
 medium inter Tropicos locum obtineat,
 & sol totam peragrando Eclipticam an-
 nuam definiat moram, ad hunc igitur
 circulum bis anno redeat oportet, scil.
 vere ♈, & autumnno huic oppositum si-
 gnum ♎ in gressu. In diem autem æ-
 quinoctii verni veri anxia semper fuit
 inquisitio, donec Gregorius XIII Papa
 Ro-

Romanus, remedium huic malo adhibere studens, ultimam isti operi manum imposuisse, omneque dubium removisse videretur. Sed ante hoc tempus, siquidem exacta justaque anni Juliani quantitas lateret, (ut Romuli, Pompiliique, ut & variarum gentium, quarum quædam ad Lunæ, plæræque ad Solis, aliquæ etiam simul ad utriusque luminaris revolutiones respexerunt, annorum constitutiones silentio præteream:) ordine illis vago & retrogrado æquinoctium recurrebat. Siquidem enim Julianus annus complecteretur dies 365 & 6 horas integras, cum tamen exacta & vera anni solaris magnitudo sit dierum 365 & hor. tantum 5 min: 48, sec: 45. unde excessus anni veri solaris 2. min. 15 sec: (quæ tn. secunda plerique rejiciunt) factum est, ut ab anno primo Juliano, qui æram salutis nostræ præcessit annis 45. usque ad annum correctionis Gregorianæ 1582. æquinoctium verum cœlestē anticiparet suppositivum æquinoctii diem, qui secundum

Æram

Æram Alexandrinam semper incidere
 in XXI Martii, 12 diebus, vel accuratius
 12 d. 17 hor. O. min. 45 sec. ut igitur *προ-
 ἡγησης* illa æquinoctii veri atque cœlestis
 tolleretur, & pristina tamen ac usitata
 ejus sedes servaretur, exemit Gregori-
 us Papa ex anno correctionis 1582, &
 quidem speciatim ex mense Octobri di-
 es x. substituendo in locum 5. Octo-
 bris 15. qui dies ab anno Æræ Christia-
 næ 325, quo synodus œcumenica Nicæ-
 na censetur habita, ad prædict. an. cor-
 rect. annis 1257 præter ordinem influxe-
 rant. Rectius tamen illa x dierum *προ-
 ἡγησης* complectitur annos 1280. Sic e-
 nim annus Æræ vulgaris 320 erit termi-
 nus a quo correctionis, & 1600 termi-
 nus ad quem: quia 2 min. & 45 sec. ex-
 -cessus cujuslibet anni dant mihi
 annis 1280 decem integros dies.

Cetera, quæ desiderantur, officia scil. Æqua-
 toris, & varias ejus alias utilitates, Deo,
 cujus in manu sortes nostræ sunt, commodi-
 orem occasionem & benigniora fata clemen-
 ter concedente, attexere animus est.